

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1445

Autre(s) référence(s) : Fauroux 18 / Tabuteau 116 / ARTEM 2388

Auteur(s) : Richard II, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Saint-Quentin (chapitre)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : 1015, 8 septembre

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard II, à la requête de Dudon, chanoine de Saint-Quentin, son fidèle, et de son oncle Raoul d'Ivry, concède au chapitre de Saint-Quentin pour qu'il en jouisse après la mort de Dudon : « Euvrardi acclesia » (Avremesnil ?) dite « Abbathia », sur le Dun, et l'église de Sotteville [-sur-Mer], naguère octroyées en bénéfice à Dudon par Richard Ier.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 18, p. 100-102.

Texte établi d'après a

RACIOCINATIO ACTUUM MUNDIALIUM STATUSQUE JURIDICIALIUM CAUSARUM EXIGIT JUGITER ut res quæ legaliter diffiniendo determinantur, taliter chartulis scribendo veraciter inserantur, quatinus sophymate omnino scrupulosæ rei dempto, veritas clarius luce reserata cunctis enucleetur probabiliter aperta. Quocirca comperiat Northmannorum presentium futurorumque, atque meorum successorum industria, quod accessit Dudo preciosi martyris Christi Quintini canonicus, nosterque fidelis idoneus, ad me qui noncupor Ricardus, felicissimi comitis Ricardi filius, dicorque gratia summæ individuæque Deificæ Trinitatis Northmannorum licet indignus dux et patritius, deprecans per comitem Rotdulfum meum avumculum, multimodisque et crebris supplicationibus per se ipsum, ut ecclesias quas dedit pater meus suprascriptus ei in beneficio, concederem precioso martyri Christi QUINTINO pro animæ patris mei et meæ remedio. Cujus petitionibus humillimis postulationibusque devotissimis assensum prebens et annuens, concedo prescripto martyri Quintino easdem acclesias (sic), in Calcis comitatu sitas, unam supra fluvium Dunum sitam, quæ dicitur Euvrardi acclesia (sic) et nominatur Abbathia, alteram secus litus maris positam, in vico quæ dicitur Sota villa ad mensam fratrum inibi degentium et sub tutela gloriosi testis Christi Quintini Christo famulantium, ut post excessum Dudonis mei fidelis teneant, possideant, et usufructus accipiant, et quicquid facere voluerunt canonici Sancti Quintini, libere faciant, procurantibus DUDONIS mei fidelis heredibus in preciosissimi Christi asertoris Quintini servitio, et cum canonicis placuerit, et mihi promptis in meo obsequio. Et si superstes Dudo aliquid vobis largitus fuerit in sua vita, pro animæ patris mei gloria, sit illi nostra et sempiterna gratia. Si quis contra præceptum mei dictaminis meæque dacionis venerit, quin etiam si quis meorum heredum infringere istud maluerit, imprimis iram Dei omnipotentis incurrat, et quod injuste repetit non sibi evindicet, sed confusus et damnatus et excommunicatus et anathematizatus

recedat, persolvatque regi Francorum .XXti. libras auri, ducique Normanniæ similiter viginti. Actum est anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi .M.XV., indictione .XIIIa., regni autem Rotberti.XXVIIa., hoc præceptum, Rodomagensi civitate, in Nativitate Genitricis Dei Mariæ, regnante Roberto rege. Signum Richardi qui hoc preceptum fieri jussit. S. matris ejus Gonnors. S. uxoris ejus Judith. Richardi filii Richardi. S. Vuiglelmi comitis. S. Rotberti archiepiscopi. S. Malgeri comitis. S. Rodulfi comitis. S. filiorum ejus. S. Turstingi. S. Hugonis. S. Hugonis episcopi, Rodulfi filii. S. Hugonis Bajocacensis. S. Hugonis Ebroicacensis. S. Rogeri episcopi Luxuvacensis, S. Hugonis episcopi. S. Rogerii. S. Vuilberti militis. S. Turchilamni. S. Rodulphi, militis. S. Rodulfi. S. Rogerii. Odo cancellarius scripsit et subscripsit.